

Johann Quistorp Johannes Harpff

**Disputatio Theologica De Viribus Liberi Arbitrii, inprimis circa spiritualia ex Dicto
2. Corinth. 3. v. 4. 5.**

Rostochi[i]: Kilius, 1645

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737814012>

Druck Freier  Zugang



Kurt. J. Harppff

F. Anistorp 16
R. U. theol. 1645.

DISPUTATIO THEOLOGICA

14.

De
VIRIBUS LIBERI
ARBITRII, inprimis cir-
ca spiritualia,

ex Dicto 2. Corinth. 3. v. 4. 5.

Quam

FAVENTE DIVINO NUMINE

Consensu venerandæ Facultatis Theologicæ
in Illustrissima & Florentissima Academia

Rostochiensis,

PRÆSIDE

*Viro Magnifico, admodum Reverendo, Cla-
rissimo & Excellentissimo*

DN. JOHANNE QUISTORPIO,
RECTORE, SS. Theol. Doctore & Professore ce-
leberrimo, ejusdemq; facultatis Seniore meritissimo,
p. t. DECANO spectabili & ad D. Mar. Ecclesiæ vigilantissi-
mo, Fautore, & Præceptore suo summè observando.

Placido Eruditorum Examinis

submittit

JOHANNES Harpff/ Mœno-Francofurt.

*Die 26. Februarii, in Auditorio Majori, horis
à septima matutina.*

☉(○)☉

ROSTOCHI,

Exscribent Typis NICOLAUS KILIUS, AcadTyp.

Anno M. DC. XLV.

8



Magnifica Auctoritate, Generis Nobilitate,

Consiliorum dexteritate

Spectatissimis, Amplissimūq; VIRIS

Imperialis - Liberæ & Celeberrimæ Republicæ
MOENO-FRANCOFURTENSIS.

PATRIÆ PATRIBUS

DN. HECTORI WILHELMO à Gûnderoth /
Prætori gravissimo,

DN. JOHANNI MAXIMILIANO zum Jungen/
Scabino, Scholarchæ, ac Consuli Seniori
prudentissimo,

DN. JOHANNI ADOLPHO STEPHANO
von Cronstetten/Consuli juniori, itidem pru-
dentissimo.

ut &

Cæteris Totius Ordinis Senatoriū Laudatissimi

Dnn. SCABINIS, SCHOLARCHIS, SYNDICIS,
reliquisq; SENATORIBUS Spectatissimis,

Nec non

VIRIS

Plurimum Reverendis, Clarissimis ac Doctissimis

Ecclesiæ *γυνώτας* Lutheranæ ibidem Ministris vigilan-
tissimis, fidelissimis.

*Dominis Mæcenatibus atq; Evergetis meis magnis, o-
mni observantiâ & submissione colendis Disputationem
hanc Theologicam in debita gratitudinis signum dicat
consecrat*

JOHANNES Harppf! Moeno-Francof.
Auth. & Respond.





PROŒMIUM.

DUm Apostolus Paulus, organum illud
Ecclesia selectissimum vanam de quovis & in-
anem vult abesse gloriationem, ob dona praefer-
tim Spiritus S. merâ hominibus gratiâ conces-
sa; in hac notatu dignissima verba erumpit:
Quis te ab aliis discernit? quid habes, quod
non receperis? quid si etiam accepisti, quid gloriaris, quasi non ac-
ceperis? 1. Cor. 4. 7. quibus verbis vanum & impium esse ait, si
quis in concessis sibi donis spiritualibus gloriatur, ac suis viribus,
studiis ac laboribus ea tribuit, immemor summa fragilitatis &
imbecillitatis ex Lapsu Protoplastorum, eheu! tristissimo contra-
ctæ; cum potius imitari unusquisque debeat id, quod de pavo-
nibus vulgo dicitur, eos adverso sole suas expandere pennas &
quidem cauda, seq. ipsos intueri & superbire, ad pedes verò
quando oculos convertunt, easdem illic demittere & contra-
here; Sic si cuius obrepat menti huiusmodi de donis gloriatio,
fæditatem protinus ac deformitatem qua per peccatum est con-
taminatus, perpendens, cristas cum aliis deponat, immensam
verò DEI benignissimi Largitoris gratiam efferat. Hoc quod
de donis ac bonis DEI in genere verum, id verò etiam hanc ab-
ludit in dono gratiosa nostra Conversionis, ubi nostrum studium
& Vires Liberi Arbitrii ita excluduntur 1. Corineth. 2. 14. ut
soli DEO omne ascribatur Joh. 6. 44. Hoc mecum considerans,
constitui de Viribus Liberi Arbitrii, in primis circa verè &
merè spiritualia publicè discurrere sumta occasione ex dicto
Paulino 2. Cor. 3. 4. 5. ut autem hoc fiat in unius DEI gloriam,
A 2 arden.

*ardentibus imploramus precibus Authorem & conservatorem
Nostra Conversionis, Spiritum S. ut sua nos clementissima assi-
stentiâ regat.*

Dictum Pauli 2. Corinth. 3.

V. 4. 5.

Fiduciam a hujusmodi habemus per CHRISTUM
erga DEUM. Non quòd idonei sumus per nos-
metipfos ad cogitandum quicquam, veluti ex
nobisipsis, sed quod idonei sumus, id ex DEO
est.

Brevis Dicti Analysis.

§. 1. Licet primarius Apostoli scopus sit, docere Corinthios,
unde omnis virtus, efficacia & operatio Ministrorum Ecclesiæ oriatur,
ut per eosdem homines ordinariè convertantur & salventur, nempe
non ab hominibus legitimè eo munere fungentibus sibi relictis, aut
naturalibus eorundem viribus, sed à solo DEO; consequenter tamen,
docet omnes omninò homines, nihil propriis suis Liberi Arbitrii viri-
bus in Regenerationis & Vivificationis negotio spirituali posse præsta-
re; Est enim illatio à Majori ad minus, ex parte subjecti; si nil quicquam
boni ex seipsis possunt cogitare, qui variis alioquin donis spiritualibus
sunt ornati, multò minus homo, quivis alius ex se suisq; viribus quic-
quam cogitare & conferre potest ad seipsum convertendum, illumi-
nandum, & salvandum: Nam si id quod verisimilius videtur, verum
non est, nec id quod minus verisimile videtur, verum erit, hinc
inquit.

§. 2. Fiduciam autem hujusmodi habemus per CHRISTUM ad
DEUM, ubi describitur 1. Fiduciæ qualitas. 2. Terminus à quo illa
Fiducia. 3. Terminus ad quem dirigatur Fiducia.

§. 3. Fiduciæ qualitas consistit in eo, quod ministrorum Eccle-
siæ, imprimis verò Pauli opera non fuit infrugifera, quam docendo præ-
stitit, non tamen illam fiduciam habet defixam in persona vel labori-
bus

bus suis, si ex se penitentur, sed unice in DEO, cui laus omnis efficacia tribuenda; ideo hanc phrasin, in DEO, fusius explanat, quando v. 3. hujus capitis ait: Corinthios esse epistolam CHRISTI subministratam à nobis (ministeris verbi) non atramento, sed SPIRITU DEI vivi. Quicquid igitur ipse in ministerio suo effecit, vel apud Corinthios, vel etiam alios, id totum non suæ habilitati vel industriæ, sed DEI gratiæ ascribendum monet. D. *Ægid. Hunnius in comment. super 2. Epistol. ad Corinth.*

§. 4. Terminus, à quo illa fiducia oritur, est CHRISTUS, dum dicit, Per CHRISTUM habemus illam fiduciam, qui operatur omnia in omnibus. 1. Cor. 12. 6 ipsumq; velle & perficere in nobis efficit pro gratuita sua benevolentia Philip. 2. 13.

§. 5. Terminus ad quem illa dirigitur fiducia, est DEUS, asserente Apostolo his verbis: Fiduciam habemus ad DEUM. Est enim, ille solus ad quem omnes actiones nostræ dirigendæ, ut solus gloriam & laudem exinde deportet. 1. Cor. 10. v. 31. quia mundam nobis creare & spiritum firmum in nobis renovare potest Ps. 51. 12.

§. 6. Porro dicit. Non quòd idonei sumus per nosmet ipsos ad cogitandum quicquam, veluti ex nobisipsis, sed quòd idonei sumus, id ex DEO est: quibus verbis negativè & affirmativè ostendit, qualis sit illa fiducia quam per CHRISTUM ad DEUM fixam habent, Non quòd idonei sumus per nosmetipsos &c. sicut §. 3. ostensum.

§. 7. In Græco est vocabulum *ικανός*, quod quidem est *πρόσῳ- μόν*, modò enim significat sufficiens Luc. 22. 38. 2. Cor. 2. 6. modò Multus Luc. 23. 9. interdum Magnus Act. 20. v. 37. interdum etiam aptus, idoneus 2. Tim. 2. 2. & in nostro dicto, hæc autem multiplex & diversa vocis significatio, in diversis istis locis cernitur ex diversitate circumstantiarum contextus.

§. 8. Omnem itaq; idoneitatem & aptitudinem operandi & cogitandi aliquid bonum homini per seipsum considerato denegat.

§. 9. Urgent quidem Pontificii ex vulgata versione, quæ ipsis textus authenticus, vocabulum Sufficientiæ cùm dicatur. Nos non sumus sufficientes. quibus verbis colligere volunt, non negare Apostolum, nos ad nostram justificationem & quodvis bonum spirituale ali-

quid posse adferre ex nobisipfis, sed sufficientiã, non esse ex nobisipfis, quia phrasis, Non sufficiens, infert utique aliquid in homine esse, quod cum non satis fit, ideo sufficientiam unice à DEO petendam & expectandam. Resp. 1. Licet vocab. *ικανότης* in quibusdam scripturæ dictis ita significet, pro subjecta materia, non tamen semper & ubique, sicut § 7. adductum, *ἀπολογιστικῶς* itaque fit illatio à particulari. 2. ipsa vulgata versio idoneitatem illam non homini sed DEO ascribit, quippe quæ expresse habet v. 6. Idoneos nos fecit.

§. 10. Per Cogitare, Græcè *λογίζεσθαι*, nuda intelligitur & simplex cogitatio uti 1. Cor. 13. 5.

§. 11. Dum autem Apostolus dicit, nos non esse idoneos ad cogitandum quicquam, non ita simpliciter hæc verba sunt sumenda, quasi homo per lapsum amiserit. Cogitationem Physicam sic, ut Ratio, Intellectus, & voluntas ipsa, unde cogitationes oriuntur, sint adempta, quod fieri nequit, nisi ipse homo destruat, quia sunt facultates quæ ab essentia animæ per emanationem simplicem proveniunt. Non enim, ut ait Ambrosius lib. 1. de vocat. gent. ca. 3. *voluntate, sed voluntatū sanitate est homo privatus*. Nec loquitur Paulus 2. de voluntate, aut cogitatione Ethica vel Politica. quia etiam post lapsum, homo potest uti intellectu (quamvis per peccatum valde sauciato & vulnerato) in discernendo bono & malo. Hinc Art. 18. AUG. Conf. dicitur. *De libero Arbitrio docent, (nostræ Ecclesiæ) quod humana voluntas habeat aliquam Libertatem ad efficiendam civilem justitiam, & deligendas res rationi subjectas*. Et nisi hoc esset, homo non distingueretur à rebus inanimatis & brutis. Hinc ea de re Justinus Martyr Apol. 2. his verbis eleganter, inquit: *Quædam moventur sine iudicio, ut lapis moveatur deorsum, quædam cum iudicio sed non libero, ut ovīs videns lupum iudicat eum fugiendum ex naturali instinctu, non ex deliberatione, nec potest eligere, an velit non fugere, homo verò per potentiam intelligentem iudicat aliquid fugiendum vel prosequendum*. Neque Paulo sermo est 3. de cogitatione hominis in statu integritatis ante Lapsum, aut 4. de cogitatione hominis in statu gloriæ constituti, sed 5. de cogitatione hominis post lapsum nondum regeniti, cuius vires in spiritualibus nihil valent quod etiam asserit 1. Coriath. 2. 14. quem in finem Angusti:
super

super hæc verba sic scribit. *Cogitare minus est quam desiderare, appetere vel incipere.* Si igitur minus à nobis ipsis non potest fieri, certè nec majus à nobis effecti poterit. Et idem August. lib. 2. de bono persever. ca. 13. ait. Cogitantes loquimur, cogitantes agimus, quicquid agimus, quod autem attinet ad pietatis viam & verum DEI cultum non sumus idonei cogitare aliquid tanquam ex nobismet ipsis.

§. 12. Denique affirmativè Apostolus asserit, qualis sit nostra fiducia, inquit, sed quòd idonei sumus, id ex DEO est. Tota igitur idoneitas, & aptitudo bonum aliquid spirituale cogitandi, ascribenda uni ac soli DEO, cujus est opus, ut in subsequentiis probabitur.

§. 13. Tantum de dicti Analyfi & explicatione, paucis hinc scopum nobis præfixum de Viribus Liberi Arbitrii circa spiritualia aliquantò dilucidius considerabimus.

§. 14. Dicitur fuit §. 11. Vires Liberi Arbitrii non esse ablatas ratione & essentia, seu essentia, neque ratione omnimodæ earundem *ενεργείας* circa res non spirituales, quod benè notandum contra Stoicos & Laurent. Vallam, statuentes, nullam contingentiam, aut libertatem actionum in hominibus irrogenitis esse reliquam, verum hominem ita necessariò agere, ut non potuerit aliter egisse, quo ipso, homini, quantum in illis erat, omnem contrarietatis & contradictionis libertatè adimebant, nixi hac ratione, quia omnia fiunt decernente & præordinante DEO, ex quo ita concluderunt. Si omnia jam ab æterno sunt definita & præordinata, divino decreto, utique necesse est in tempore ita evenire. Secus si esset, aliud fieret, & aliud à DEO esset sancitum, atque sic DEI voluntas aut falleretur aut mutaretur. quòd cum dictum sit impium, sequetur, omnia fieri necessariò, & quidem vi constitutionis divinæ & immutabilis.

§. 15. Ad hæc respondetur. quòd DEUS quidem præordinatione sua omnes res regat, non tamen earundem naturas destruat, sed prout creavit, ita eas conservat, ac præordinat ratione essentia, & operationum, id nisi sic esset, DEUS hominem ratione & voluntate præditum, frustra hoc modo creasset, cum libertate, quæ est effectus à voluntate proveniens, nunquam uteretur. Qualis ergò est rerum natura: talis ut sit, & taliter ut operetur lex æterna sancivit, nã dicuntur

Homo ad
hoc habet
libertatem
& contingentiam
suarum actionum
in rebus
non spiri-
tualibus.

nempè ut naturales operationes sint necessariae, morales verò & humanae sint, manentiq; liberae, non enim tantum Actus, sed & actuum modus lege aeterna est sancitus, quando autem hae operationes humanae dicuntur fieri necessitate ex praedestinatione, tunc non intelligitur necessitas consequentis, ac si sit essentialis causa & effectus cohaerens, quando scilicet res sequitur ex causa antecedente necessaria, sicut oppositum sit impossibile; sed necessitas consequentiae, quae in schola Philosophorum dicitur Hypothetica, quando nimirum aliquid posita aliqua hypothesis, certo & infallibiliter sequitur; causae tamen illius rei sunt mutabiles. v. g. ingredi templum aut collegium, est necessarium ex hypothesisi ratione praevisionis & decreti, contingens autem est ratione principii & causae internae, potest enim homo ingredi vel non ingredi, & uti hoc futurum erat, ita DEUS praevidit ac decrevit, DEUS enim, uti dictum, non tantum decernit actum sed & modum.

§. 16. Demonstratur ulterius contingentia & libertas humanarum actionum. 1. Scripturae dictis. 2. Ratione. 3. Humano testimonio.

§. 17. Dicta scripturae manifesta sunt. Exod. 35. 5. Accipite ex iis, quae penes vos, oblationem Jehovah, cujuscunque animus spontè moverit eum, offero hanc oblationem Jehovah. Num. 30. 13. omne votum & omnem obligationem juramento confirmatam de seipsa affligenda, vi ejus stabilita aut vi ejus irritam facito eam. 1. Cor. 7. 37. Qui stabilis perstat in corde nec adigitur necessitate, sed in potestate habet propriam voluntatem & hoc decernit in corde suo & servet suam virginem. bene facit Taceo jam optiones à DEO ipso datas Josu. 24. 15. 2. Sam. 24. 12. quae frustra à DEO essent injunctae, si homo non nisi necessitate ageret.

§. 18. Neque sana admittit ratio necessitatem illam Stoicam. 1. quia Leges in politica datae essent frustraneae & inutiles. 2. peccatorum author DEUS statuendus esset, si cuncta fierent necessitate praedestinatione DEO. 3. Praemia etiam & supplicia essent indebita & injusta, si actiones non essent in nostra potestate. 4. Preces & supplicationes forent vanae.

§. 19. Testimonia nostrae adstipulantia sententiae licet non pauca possent adduci, instar omnium tamen nobis jam esto Lombardi lib. 1. sentent.

sentent. dist. 39. dicentis: li, qui abnegata contingentia, omnia volunt fieri necessario, tor mentis potius, quam rationibus exponendi, & tam diu sunt cruciandi, donec concedant possibile esse, eos non torqueri. Satis itaq; constat contra mentem stoicorum, contingentiam in actionibus hominum non spiritualibus post lapsum esse reliquam. Non ergo necessum fuit Joabum transfigere Amasam 2. Samuel. 20 9, 10.

§. 20. Quamvis autem hæc ita se habeant, non tamen diffiteri possumus, Libertatem illam & contingentiam hominis in agendo duabus præcipue causis valdè impediri. 1. Callida Diaboli seductione, qui sæpe transversam rapit nostram voluntatem & dum videt hominis ad bonum inclinationem, persvadet malum sub ratione bonitatis, utpote qui est efficax in filiis incredulitatis Eph. 2. 2. & disciplinæ rectionem in tota vita multipliciter impedit, impellitq; multos ut ruant cæci & furentes in tristissima mala. Sicut de Saule 1. Sam. 16. 15. dicitur. Perturbabat eum Spiritus malus; 2. impeditur humana imbecillitate, nam vitiosi præsertim affectus in hominib⁹ sunt acerrimi stimuli & magna animorum incendia, quibus homines sæpè impediuntur contra Consilium mentis, etiam cum possent se cohibere, si anniterentur. Hinc Medea apud Ovidium lib. 7. Metam. inquit.

Sed trahit invitam nova vis, aliudq; cupido

Mens aliud svadet: Video meliora proboq;

Deteriora sequor.

§. 21. In spiritualibus autem quomodo se habeant vires liberij Arbitrij, necessum est ut hominem in quadruplici consideremus statu 1. Integritatis. 2. Corruptionis. 3. Regenerationis. 4. glorificationes.

§. 22. Homo ante lapsum adhuc vivens instatu Integritatis, habuit liberi arbitrij rectitudinem & perfectionem in spiritualibus, cujus beneficio DEUM potuit rectè cognoscere quoad essentiam & voluntatem, eiq; ex voluntario instinctu cordis plenè obtemperare.

§. 23. Hanc tamen Liberi Arbitrij rectitudinem non habuit ita immutabiliter determinatam ad bonum, ut à bono se non posset avertere, sed in ipsa potentia ad opposita, dum malum & bonum, velle & nolle potuit, ideo homini datum erat præceptum, ne peccaret Gen. 2. 16. 17.

§. 24. Quam primum autem homo præceptum hoc DEI per abusum rectitudinis Arbitrij liberi est transgressus, à statu integritatis, in mi-

Conside-
ratur ho-
mo 1. in
statu In-
tegritatis.

B

ferrimam

2. *Corruptionis* ferrimum Corruptionis statum præcepit, quo factum ut rectitudinem illam prorsus amiserit, sic, ut in locum cognitionis DEI ratione mentis, successerit summa ignorantia & cæcitas, in locum justitiæ, sanctitatis & studij obedientiæ, ratione voluntatis, inclinatio ad malum & aversio à DEO, ideoq; Homo nunc dicitur Tenebræ, antea cum fuerit Lux Ephes. 5. v. 8.

§. 25. In se ergo homo nullam habet potentiam vel idoneitatem se convertendi ad DEUM I. ratione mentis, quæ cæca & tenebris obruta, quæ non potest esse causa visionis, aut illuminationis spiritualis, imò mortua est mens Eph. 2. 4. Colos. 2. 13. nullas igitur vires habet, in se, quibus seipsam vivificet. Quæ enim Spiritus DEI sunt illa homini stultitia potius ducuntur nec potest capere 1. Corinth. 2. 14. II. ratione voluntatis, cujus figmentum tantummodo malum est omni tempore Gen: 8. 21. III. ratione reliquarum virium quæ bonum monstratum non exsequuntur sed ei contranitentur, ob id Script. S. septem imprimis membris hominis attribuit perpetuam ad malum inclinationem & indurationem 1. Cordi Psal: 95. 8. Ne obduretis animum vestrum, ut in contentione, ut die tentationis in deserto, quod bonum spirituale velle nequit. 2. Oculis Matth. 13. 15. Crassum factum est Cor populi hujus & auribus graviter audierunt & oculis suis conniverunt, qui ad DEUM se attollere non valent. 3. Auribus Zachariæ 7. 11. Renuerunt attendere & præbuerunt humerum refractarium auresq; suas aggravarunt, ne audirent, quæ bonum audire aggravantur. 4. Cervici Act. 7. 51. duri Cervice & incircumcisi corde & auribus, quæ divini doctrinæ se submittere reluctatur. 5. Fronti Esa. 48. 4. ex præscientia mea erat, te durum esse & nervum ferreum esse cervicem tuam frontem tuam Chalybeam, quam non pudet mali perpetrati. 6. Faciei Jere. 5. 3. reddunt faciem suam obfirmatorem petra, quæ ad DEUM vertere se renuit. 7. Tergo Zach. 7. 11. quod DEO obvertitur.

§. 26. Sequitur inde Hominem in sui conversione se tantum passivè habere, hoc est, Esse tantum subjectum convertibile, non causam efficientem conversionis.

§. 27. Trunci tamen aut lapidis instar eum esse non dicitur, quia Homo habet 1. rationem. 2. aptitudinem audiendi verbum, cujus

ius auditus ad conversionem ordinariè est necessarius, quia non raptu violento hominem DEUS convertit. 3. potentiam illam qua, audito verbo potest resistere & gratiæ verbo annexæ reluctari uti constat Prov. 1. 24. 25. quibus omnibus caret truncus.

§. 28. Probatur insuper duabus in primis rationibus conversionem sui nullo modo posse hominem efficere 1. a Carnis & Spiritus oppositione. 2. à petenda conversione.

§. 29. Ratio prima sic stabilitur. Quodcunq; non est spirituale, illud etiam non potest producere effectum spiritualem. Atqui homo irreginitus non est Spirituales Ergo etiam non potest producere effectum Spiritualem. Major probatur inde, quia quicquid non est in causa, etiam in effectu esse nequit, ideo Christus ait Matth 7. 18. Non potest arbor bona fructus malos ferre, nec arbor mala fructus bonos. Minor confirmatur Joh. 3. 6. ubi veritas asserit. Quod natum est ex carne caro est, & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est. Hic per vocabulum CARO non potest intelligi ipsa hominis substantia, quia Christus docet, hanc carnem esse regenerandam aquà & Spiritu si regnum, cœlorum cupit intrare, at Homo, quatenus homo est, non regeneratur, alioquin & in statu innocentia fuisset regenerandus ut regnum, DEI potuisset ingredi, quapropter per Carnem hinc intelligitur homo peccatis contaminatus, cujus opera sunt carnea, qualia describuntur Gal. 5. 19. seqq. ideo Rom. 8. 6. dicitur, esse mortem ipsam quod Caro sapit; qui ergo spirituale quid produceret? per Spiritum verò intelliguntur opera Spiritus Gal. 5. 22. item Regeneratio & Renovatio operumq; carnis remissio & subactio. Hinc Lutherus hanc tradit regulam notatu dignissimam, in lib. de Servo Arbit: p. 235. *Id observabit in scripturis, ubicunq; de carne agitur per antithesin ad Spiritum, ibi ferè per Carnem intelligis omnia contraria Spiritus; ubi verò absolute tractatur, ibi conditionem naturamq; corporalem significare.* Ex hac itaq; B. Luthera regula hanc necesse argumentationem. Quæcunq; sunt contraria, illa etiam habent contrarios effectus non eosdem, atq; Caro & Spiritus sunt contraria. Ergo etiam habent contrarios non eosdem effectus. Non igitur Carnalis, quæ talis, spiritualem potest producere actionem, & sic consequenter homo carnalis non potest ad sui conversionem se præparare, aut eandem efficere, quia conversio est actio spiritualis.

§. 30. Secunda Ratio sumitur à petenda conversione. Unde sic infertur. Si homo jam Spiritu illuminatus à se nihil spirituale potest efficere, ergò nec irrogenitus, atqui verum prius Ergo & posterius. Majoris connexio probatur ea ratione, quæ dabatur in §. 1. Minor statuminatur Psal. 119. 34. 73. 125. 144. fac ut intelligam ut custodiam legem tuam observemq; eam ex toto corde. Redde me intelligentem, ut discam præcepta tua &c. Jerem: 31. 18. converte me Domine ut convertar. Ubi etiam sancti petunt à DEO converti. Exinde sic colligitur: Quicquid est in nostra potestate, illud à DEO singulariter non est petendum ut donet. At conversio à DEO singulariter est petenda. Ergò non est in nostra potestate. Major certificatur, quia quod jam in me situm est, illud per preces impetrare minimè debeo. Hinc August. de natura & gra. cap. 18. ait: Quid stultius? quàm orare, quod in potestate habes. Alias Rationes lubens prætereo; ne nimium excreseat Dissertatio.

§. 31. Neque hæc sententia, de Nullitate virium circa conversionem, caret Testimonio piæ Antiquitatis. Sic enim ait Irenæus lib. 2. cap. 65. *Non ex nobis neque ex natura nostra est vita, sed secundum gratiam DEI datur.* Augustinus in Enchirid. ad Laurent. cap. 30. *Libero arbitrio malè utens homo, & se perdidit & ipsum. Sicut enim qui occidit se, vivendo quidem se occidit, sed se occidendo non vivit, nec seipsum poterit resuscitare cum occiderit. Et cum libero arbitrio peccaretur, victore peccato amissum est & liberum arbitrium, à quo enim quæ devictus est, huic & servus est additus.*

§. 32. Soli ergò DEO nostra est ascribenda conversio vi scripturæ Ezech. 11. 19. ego indam ipsis Cor unum & Spiritum novum, ponam in medio vestri, amovens, inquam, Cor lapideum à carne eorum, indam eis Cor carneum cap. 36. 26. Jer. 32. 39. indam illis Cor unum & viam unam ad reverendum me omnibus diebus. Ephes. 2. 8. gratia estis servati per fidem, & hoc non ex vobis: sed DEI donum est non ex operibus, ut nequis glorietur Phil. 1. 6. qui incepit in vobis opus bonum, perficiet usq; ad diem Jesu Christi cujus gratia unica est, quæ nos prævenit antequam velimus, gratia, quæ nos præparat ut velimus, gratia, quæ in nobis operatur ipsum velle & assentiri, gratia, quæ cooperatur, dum jam volumus & assentimur, gratia deniq; est, & assen-

quæ in nobis manet, ut perseveranter velimus & assentiamur. Eapropter August. in lib. de nat. & grat. cap. 32. ait: *Ipse prevenit nolentem, ut velit; subsequitur volentem, ne frustra velit; Prævenit, ut sanemur; subsequitur, ut sanati vegetemur: Prævenit ut vocemur, subsequitur, ut glorificemur; Prævenit ut piè vivamus; subsequitur, ut cum illo semper maneamus.*

§. 33. Est autem conversio nostra, mutatio Spiritualis, quâ homo propter peccatum à DEO omninò averfus, (vid. §. 25.) per fidem Christi meritum apprehendentem ad DEUM rursus convertitur. Mens itaq; illuminatur à DEO, ut possit capere ea quæ voluntas divina jubet & tradit, iisq; assentiat, quæ antea neq; capere neq; eis assentiri poterat, aut volebat, voluntas etiam rectificatur, ut DEUM diligat veraq; fidei meritum Christi apprehendat. Et sic homo in statum Regenerationis transfertur.

§. 34. Homini autem sic converso conceditur voluntatis cooperatio in spiritualibus, quod probatur scripturæ dictis, quæ Renatis & sic spiritualibus opera tribuunt spiritualia. Rom. 8. v. 4. 5. *Qui spiritualis sunt, ea quæ spiritus sunt, sapiunt.* 1. Corinth. 2. 15. *Spiritualis judicat omnia. conf. Matth. 7. 17. cap. 12. 35. idcirco toties admonentur Regenerati, ut sanctis studeant operibus, in iisq; perseverent Joh. 15. 2. 4. 5. 6. omnem palmitem, qui fert fructum purgat, ut plus fructus adferat. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; ita nec vos nisi in me manseritis, qui manet in me, & in quo ego. hic fert fructum multum, nam seorsum à me nihil potestis facere 2. Pet. 1. 5. Ad hoc ipsum vos omni præterea collato studio, adjicite fidei vestræ virtutem.*

3. in statu
Regenera-
tionis.

§. 35. Licet verò Regeneratus has vires faciendi bonum opus habeat, non tamen ex sua ipsius natura eadem pullulant, sed virtute Spiritus S. excitantur & reguntur, ut homo possit incipere, inceptum continuare, in continuato etiam bono perservare ad finem 2. Thef. 3. 3. *Fidelis est Dominus, qui stabiliet vos, & custodiet ab illo improbo.* 1. Pet. 1. 5. *Virtutis DEI præsidio custodimini per fidem.*

§. 36. Quæ bene agendi vires non sunt in Renatis prorsus consummata; sed inchoatæ & imperfectæ, quia caro, quamdiu hic vivimus, in nobis remanet Spiritui semper resistens Gal. 5. 17. de quo Paulus jam conversus queritur Rom. 7. 22 seq. dum ait: *Delector Lege DEI, quod*

ad interiorem hominem, sed cerno aliam legem in membris meis bellig-
gerantem adversus legem mentis meæ & captivum reddentem me legi
peccati, quæ est in membris meis, Ærumnosus ego homo, quis me eri-
piet ex isto corpore mortis? Potest igitur Renuatus ex statu illo gratiæ
instatum pristinum culpæ relabi, si Carnis cupiditatibus dominium per-
mittit, à quo dehortatur Apost: Paulus Rom. 6. 12. Ne regnato pec-
catum in mortali vestro corpore, ut auscultetis ei in cupiditatibus
corporis, neq; sistite membra vestra arma injustitiæ peccato: sed sistite
vos DEO, ut ex mortuis vivos, & membra vestra arma justitiæ, pecca-
tum enim vobis non dominabitur. seqq. qua de causa CHRISTUS allo-
quitur Petrum Luc. 22. 31. 32 Simon, Simon, ecce Satanas appet-
tit vos, quos ventilet sicut triticum, sed ego rogavi pro te, ne fides tua
deficiat.

§. 37. Hæc cum ita se in homine circa merè spiritualia habere
demonstratum sit, unusquisq; magnitudinem beneficiorum DEI sum-
mis deprædicet laudibus, à ejus virtute & gratia salus nostra unicè de-
pendet, securitatem cum vana gloria seridè excutiat, qua quis sibi ima-
ginatur, in suis esse viribus ad DEUM se convertere & in fide perseve-
rare, nec tamen desidiæ indulgeat cogitans; quoniã in mei conversione
& spirituali quovis opere efficere nil valeo, ideo secunda & otiosa mente
expectabo, donec Spiritus S. me convertat, nam DEUS non ἐπιθεσιασι-
τως convertit, sed ἀκυστικῶς per auditum verbi & usurpationem legi-
timorum mediatorum, quibus fides gignitur ac conservatur, indefinenter
deniq; maximas DEO gratias agat, quod omne bonum spirituale à
DEI benignitate acceperit.

§. 38. Tandem in statu glorificationis vires Liberi Arbitrij ita
erunt consummata & perfecta, ut Mens humana DEUM resq; divinas
sine defectu intelligere, voluntas sine ulla reluctantia appetere, vires
omnes sine rebellionè & defatigatione exequi valeant, quia omnia
coram cernemus, cognoscemus, quæ hîc per speculum vidimus, illicq;
erit perfectum, quod hîc fuit ex parte 1. Corinth. 13. 9. 10. seqq. Deumq;
intuebimur, sicuti est 1. Joh. 3. 2. eritq; nostra felicitas sine miseria, di-
vitiæ sine penuria, amor sine odio, gaudium sine fletu, libertas sine ser-
vilitate, securitas sine metu, ad quem statum nos perducatur Spiritus
conversionis & conservationis.

Amen.



Quid nostra possint vires, quid nostra voluntas
 Possit, res agitur quando fidei, Harfius hisce
 Inquirat. Clemens tu supple calitis aure
 Spiramen nostros defectos, porrige vires,
 Sic sacra discamus, qui tandem posse velimus
 Injungit nobis quidquid divina voluntas.

PRÆSES.

Per dita mens, animus corruptus, tota voluntas
 In divinis nil, nil sapit atq; potest
 Quod pulchrè ostendit nunc dissertatio præfens
 Quæ bene succedat, supplico mente DEUM.

Ita ex benevolo affectu precatur Domino, suo
 cognato, & amico dilectissimo

M. Matth: Voland, MF. S. S.
 Theolog. Studiosus.

Qui sapit, exit humo, qui de graviore metallo
 Corda gerit, maneat; qui sapit exit humo.
 Exit humo Pallas, pennis fugientibus exit,
 Vult Cerni: Sic TE dum vehis exit humo.

Paucula hæc in honorem Pereximij
 Domini Conterranei adposuit
 JOH: Grambs/ MFancof.

Qui velle nostrum, velle politicum
 Calvini modis & stoicis ligas
 Fati Cæreni Flacciano
 Quiq; furore tumes, faceffe.
 Et Tu DEUM qui, Jupiter Itale,
 Te velle jactas, ac Hecubam tuam,

Tarpem voluntatem, venusta
 Virgine per tua templa vestu.
 Stulti sagaces, quo quatit's Caput?
 Prudentius si peccus avias tibi
 Emisse Flacci, Papa, Beza
 Hus animumq; pedemq; flecte.
 Hic

Hic veritatis fons, sacra Biblia
 Tibi bibentur. Fax nitet aurea
 Hic HARPFIO scribente nostro,
 Luxq; resulget amœna VERI.
 Venite divi Colluvies Papa!
 Venite Beza! ferte rosas caput

HARPFII mei vi&rice lauro
 Cingere! Discite quid VOLUN-
 TAS!
 Et Victor HARPFII Dimidium mei,
 Ingens sororum Varniadum Decus
 O Perge sic servire Christo,
 Celicolumq; feres Coronam.
 ita amicissimo suo accin.

CASPARUS Schmidt/ Tenstad-Thur.

Πνεύματ' αἰδίζ δύνάμει σοι σφόδρα βοηθῆ,
 ὅς ποιεῖ ἱκανὸς ἡμᾶς, ἀγαθόν τε καλόν τε
 Πράττειν, ἐκ ἰδίῃ ἀληθῆ δυνάμει δα γὰρ ἔργα,
 Ὅσα Θεῷ ἀγίῳ δοκέσαι, μόνοι τε λέεσθ'
 Τῆνεκα πρὸς σαυτὸν διανῆν, ἐλῆρε ἐπαίρει,
 Τμήματα ἐξηγή' οὐκ Ἰεωεσίσιό λόγοιο,
 Ὅς θνητῶν μερόπων ἀληθῆν ἔ μη ἀπερείδει.
 Τῆτο Θεὸς τῆρον προάγει εἰς δόξαν εἰο,
 Καὶ τῆν εἰς ὄφελος, πατρία τε καὶ εἰς κλέ' εὐχὰς
 Καρδία εὐχόμεν', τῆτ' εὐχομαι, ὑψιμέδοντι.

Honoris & amoris ergò Eximio Dn. Johan. Harpffio
 amico suo colendissimo gratulabun-
 dus adjiciebat

Henricus Reinhardus Kneusselius, Lauterbac.

אל עליון בגודל כח
 יתן הוא אונים לורידו
 י
 ישעה הוא השתדלותך
 ירכה היא כפל אונך
 עדכי נלקחה נפשך:
 ה
 איש התרצן בית המדרש
 קה מר נפשי מר הנקדש
 יצלח שוחי שם הנפרש

אל ארון התרצן:
 נ
 עתה כנוד מוסרך
 נשמע לרוב הפארתך
 בזו שנת לכבודך:
 ב
 נזר בחורים תלמידים
 רדפי משכלות למדים
 יעזורך שם שמים
 הנה מתפלל אנוכי

Conradus Jfferstede/ Erf. Thuringus.



Quid nostra possint vires, quid nostra
 Possit, res agitur quando fidei, Har
 Inquirat. Clemens tu supple calitis a
 Spiramen nostros defectos, porrige vires,
 Sic sacra discamus, qui tandem posse velimus
 In iungit nobis quidquid divina voluntas.

PRÆ

Per dita mens, animus corruptus, tota
 In divinis nil, nil sapit atq; potest
 Quod pulchrè ostendit nunc dissertatio pr
 Quæ bene succedat, supplico mente

Ita ex benevolo affectu preca
 cognato, & ami

M. Matth: Volan
 Theolog.

Qui sapit, exit humo, qui de graviore me
 Corda gerit, maneat; qui sapit exit
 Exit humo Pallas, pennis fugientibus exit,
 Vult Cerni: Sic TE dum vehis exit ha

Paucula hæc in hono
 Domini Cont

JOH: Grambe

Qui velle nostrum, velle politicum
 Calvini modis & stoicis ligas
 Fati Catenis Flacciano
 Quis, furore tumes, facesse.
 Et Tu DEUM qui, Jupiter Itale,
 Te velle jactas, ac Hecubam tuam,

Turpem volu
 Virgine per
 Stulti sagaces, q
 Prudentius si pe
 Emisse Flacci
 Huc animus

